

1.
2.
3.
4.
5.
6.
7.
8.
9.
10.



1639.

1. Cellarius, Balthasar: De moneta seu re nummaria
2. Cellarius, Balthasar: De maiestate ac maiestatis
juribus.
- 3.^{at} Stigius, Christophorus: De thesauris eorumq. jure
2 Sumpt. 1639. & 1699.
- 4.^{at} Formanus, Christophorus: De obsequio ³ Sumpt. 1639 & 1699.
- 5.^{at} ~~Formanus, Christophorus~~ ^{Preeschenck, Zacharius}: De jure aggratiandi seu
indulgentiarum veniarum poenae.
6. Preeschenck, Zacharius: De processu inquisitoris
- 7.^{at} Preeschenck, Zacharius: De excothatione sive
subinfestatione.
8. Richter, Christophorus Philippus: De juramento
minutionis
9. Marguardus, Paulus: De impietate.
10. Theodoricus, Petrus: De tutelio.
11. Theodoricus, Petrus: De juramento calumnie

1639.

12^{a. b.} Angeramus, Erasmus : De expectativis feudorum.

2 Semst. 1639 - 1698.

13^{a. b.} Angeramus, Erasmus : De absentia 2 Semst. 1639 -
1698.

14. Angeramus, Erasmus : De deposito.

15^{a. b.} Angeramus, Erasmus : De erroribus Justinianis.



113

12^a

13^a

14.

15^a





*Generosa Nobilitatis, Spectata Magni-
ficentia atq; insignis experientia ac forti-
tudinis laude conspicuis*

VIRIS

Dn. CHRISTOPHORO Wixthumb ab Eckstedt
Serenissimi ac Potentissimi Electoris Saxo-
niæ quondam Duci Legionario maxi-
mè strenuo,

Dn. JOHANNI FRIDERICO Brandt à Lindaw
Reverendissimæ, Illustrissimæ ac Celsissimæ
Principis DOROTHEÆ SOPHIÆ, Duci Saxo-
niæ &c. Quedlinburgensis Abbatissæ
Aulæ magistro gravissimo

UT ET

Magnificis, Amplissimis, Consultissimis & Exeellentiss.

VIRIS

Dn. FRIDERICO LENTZIO, Jcto famigeratis-
simo, Eidem Reverendissimæ, ac Celsissimæ
Principi à consiliis secretioribus.

Dn. FRIDERICO PRÆTORIO Jcto eminent-
tissimo, Imperialis capituli Quod Quedlin-
burgi est Cancellario fide-
lissimo.

*Dnn. Patronis Fautoribus ac Promotoribus
suis omni observantia cultu atatem devene-
randis,*

Exercitium hoc

In

Sui suorumq; studiorum recommendationem
dicat, consecrat

Auth. & Resp.



IN NOMINE DOMINI NOSTRI

Jesu Christi, qui & res penitus desperatas donare & cōsummāre virtutis magnitudine potest *l. 1. §. 2. C. de V. f. E.* ad omnia consilia omnesq; actus semper progredimur *l. 2. C. de off. Pref. Afric.*

Præloquium.




Emo fane hominum in tanta rerum omnium abundantia vivit ut nullius opis ac auxilii aliquando egeat, sed cum hunc fortuna prospera Cræsum, illum adversa Irum elegerit, & nihil in humanis sibi sit sufficiens, factum est, ut mutua indigentia compulsi homines coire, in mansuetudinemq; venire coacti fuerint. Etenim dum nullus invenitur qui sibi undiquaque sufficere queat, provida natura optimè cavet, ut quod aliis deest, aliis superesset *l. 1. pr ff. de contr. empt.* Hinc dicitur, usu exigente & humanis necessitatibus omnes penè contractus fuisse introductos, ut emptio, venditio, locatio, cōductio, societas, depositum, mutuum & alii innumerabiles, *§. 2. Inst. de J. N. G. & C. l. ex hoc jure gentium §. ff. de J. & J.* Jura igitur ab initio statim commercia & contractus invenerunt, quæ faciliorem redderent vitam & societatem hominum in comparandis necessariis & distrahendis superfluis, ut scitè scribit

bit *Petrus Gregor. lib. 1. de Republ. c. 1. n. 21.* Neque enim ulla Respublica consistere potest, nulla hominum societas sine rerum permutatione mutuaque commutatione, inquit *Balduin. ad L. LXII. Tab. c. 5.* Neq; ulla esse societas potest, nisi sit permutatio, neq; permutatio nisi sit æqualitas, neq; æqualitas nisi etiam sit commensuratio &c. *Aristot. lib. 5. Ethic Nicomach. c. 5.* Cum autem in contractibus sæpe fides non fervetur, factum est, ut contractui pacium aliquod executivum sæpius apponi soleat: Quippè pleriq; ex inconsulta levitate promittunt *Hillig. in Donel. lib. 12. c. 11. lit. C. & ut Wesenb. in ff. de Pact. n. 9. ait.* Sæpe, dum nos alteri dare volumus, lingua præcurrit mentem: sæpiusq; ex affectione quadam potius, quam ἐκπρωαρέσεως studia & officia nostra deferimus magis conciliandæ benevolentia quam obligationis inducendæ causa, § 2. vers. ceterum si, ut plerumq; sermonibus fieri solet, dixit &c. *Inst. de milit. testam.* Hinc nonnunquam inter contrahentes agitur, ut si constituto tempore debitum non solvatur aut debitor in mora sit, creditori liceat injicere manū in bona obligati, *Coler. de Process. Execut. part. 1. cap. 5. per totum:* interdum convenitur, quod aq; liceat in personam manū injicere, sicut in bona cum captura videlicet debitoris, quæ ipsa quoq; inter species executionis refertur, secundum *Br. in l. 15. qui Reipubl. 44. n. 3. ff. ex quibus causis major. per l. 1. & 2. de cess. bon.* Atqui ea ipsa executio, per detentionem personæ non est uniformis, sed diversimoda; quia vel agitur, ut persona debitoris, in eventum moræ, includatur carceri, de quo habetur per *Gloss. & Doctores*

*Etiores in l. ob as C. de act. Et obligat. c. lator extra de pi-
 gnor. Et notant Legistæ in l. creditores 3. C. de pignor.
 Coler. d. part. 1. c. 6. n. 3. Berlich. part. 2. concl. 27. n. 1.
 Et seqq. Mynsing. cent. 6. obs. 51. Geil. 1. abs. 26. Novell.
 Elector. August. part. 2. Const. 21. Vel convenitur,
 ut ad creditoris instantiam Reus per iudicis officiū
 arrestetur tamdiu, donec creditori satisfiat. *Mo-
 lin. in consuet. Paris. tit. 2. gloss 1. verb. arrest. Coler. d.
 l. Interdum debitor se ad pœnam Excommunicati-
 onis vel Banni Imperialis obligat, si in termino præ-
 fixo non satisfiat. Berlich. d. concl. n. 32. Geil. de
 P. P. c. 2. Non ita rarò etiam in stipulationem de-
 ducitur, ut in casu non factæ solutionis debitor, ad
 requisitionem Creditoris, ipsemet se sistat in con-
 vento ac determinato loco, inde non recessurus do-
 nec debitum solvat quod genus executionis in per-
 sonam *Obstagium* vocamus, de quo habetur textus
in c. ex rescripto extra de jurejur. De quo Obstagio cū
 animus sit pluribus agere: sisto, Bono cum Deo, the-
 sin I.**

THESIS I.


DE Obstagio igitur cum simus
 acturi maximè necessarium esse duco, à
 definitione oriri, quo eo facilius inno-
 tescat, quid sit, de quo disputem; prout
 illud eleganter monet Imper noster in l.
 3. §. *utrum ita* 3. ff. de reb. dub. dicens: A-
 nima advertendum igitur est quid sit, de quo quæritur. Cum
 quo etiam convenit quod *Aristot. 3. metaph. c. 8. Et Cic. l. 1.
 de Orat. inquit: In omnibus disputationibus id fieri oportere*
censeo: ut quid illud sit, de quo disputetur, explane-
tur, ne vagari & errare cogatur oratio, si ii, qui inter se dis-
senferint, non idem esse illud, de quo agitur, intelligant.

II. Definitur autem Obstagium, quod sit conventio quaedam desistendo & non recedendo ex certo loco, donec conventus satisfiat: *Hering. de fidejuss. cap. 17. n. 66. Coler. de process. execut. part. 1. c. 8. n. 4. Modestini Pistor. part. 2. consil. 1 n. 9.*

III. Obstagium Germanicè dicitur, die leistung; & derivationem habet à vocabulo, leisten/ quod præstare significat. Ich will leisten was ich gelobet habe/ i. e. Itabo promissis, seu conventa servabo, *Coler. d. l. n. 31. Hering. d. l. Geil. 1. obs. 45. n. 1. Dan. Moller. lib. 3. semestr. cap. 30.* Obstagium deinde dicitur die leistung; & puto, exinde; quia si pacta conventa, sub obligatione obstagii, non servantur, promittens wird in die leistung gefordert/ hoc est: admonetur per literas creditoris, ut se juxta obligationis formulam in loco convento sistet, non recessurus, donec conventus satisfiat *Geil. d. obs. 45. n. 1. & ib. de P. P. cap. 2 n. 5. & 6. Säch. d. l. ob. as n. 5. C. de obligat. Coler. d. l. n. 3. Hering. d. loco.* Tertio etiam dicitur Das einreiten/ & quidem inde, quia promittentibus, nisi solutio in termino fieret, se quamprimum cum tot equis ac ministris, quot in tabula cautionis expressi essent, in locum conventum profecturos, nec prius inde discessuros, antequàm creditoribus sufficienter satisfactum esset. *Dan. Moller. lib. 3. semestr. cap. 30. Ioan. Köppen in decis. juris quest. 3. in pr. Landrecht lib. 2. artic. 11. §. hat er auch jenem gelobet/ dafür einzureiten. Modestini Pistor. part. 2. consil. 1. n. 2. ibi.* Soll nun in obligatione dandi der Bürge sich zu nichts anders verpflichten können/ denn der Principal: so will folgen/ daß diese Bürgschafft zu recht unkräftig. Denn es haben sich die Bürgen nicht eben zu dem verbunden/ darzu sich der Principal verpflichtet. der Principal ist Geld schuldig/ und hat sich verpflichtet/ die vorgestreckten 600. fl. widerzugeben; die Bürgen aber haben sich zu leihen gelde verpflichtet/ sondern auß des gläubigers erfordern einzureiten.

IV. Sicuti autem ex jure gentium secundario (non verò ex jure naturali secundario nam unum esse jus

jus

ius naturale, duplex verò ius gentium Treutl. re & statuit) bella orta sunt & captivitates secutæ & servitutes, quæ sunt naturali juri contrariæ, dum ab initio omnes homines liberi nascebantur, & omnes penè contractus introducti sunt, de quo in præloquio fufius dictum est: ita Obftagii jus quoq; originem ex Jure Gentium traxit, quæ jura duraverunt usq; ad tempora Romani Imperii. Nam hostes devicti ab Imperio vel Imperatoribus, & econtra, cogebantur dare Obsides, ut pacem facerent & factum servarent. *Felin. c. ex rescripto 16. fall. 2. de jure jur.* Hi exëplo eorum, qui apud hostes sunt *l. 19 qui 8. ff. qui testam. fac. poss. Arum. de jur. publ. vol. 1. pag. 224. Hillig. in Don. lib. 6. c. 5. l. E* multa majora privilegia aut libertatem non habebant quam captivi, cum testari non possint nisi eis permittatur. *l. 11. ff. qui testam. fac. poss. Schneidew. §. fin. n. 4. Inst. h. t. Sichard. ad Rubr. C. qui testam. fac. poss. vel non: n. 14.* Vbi hanc rationem addit, quia servi non habent testamenti factionem *l. 19. ff. h. t.* Obsidem verò vel in Obftagio esse, est quandam speciem servitutis inducere, & donec Obsides sunt in Obftagio, habentur pro servis. Imò captivis comparantur & ipsorum bona non transeunt ad hæredes, sed fisco applicantur *l. 31. ff. de jure fisci. Gotbofred. ad l. 11. qui testam. fac. poss. Meier in colleg. argent. h. tit. n. 6.* Permittitur autem ipsis testari ab ipso Principe vel expressè vel tacitè *Gloss. d. l. 11. Sichard. d. n. 14.*

V. Nostro vero seculo cum inter nos Christianos servitus locum non habeat, *Rittershus. in. Nov. part. 4. cap. 7. n. 12. in fin. Zas. ad tit. de Stat. hominum Bodin. 1. de Republ. c. 5. Treutl. part. 1. dis. 2. th. 2. l. E. & disput. 24. th. 11. l. F.* siquidem Germania ex Cornelii Taciti sententia in libello de moribus Germaniæ, veros servos nunquam habuit. *Geil. de pignor. obs. 8. n. 2.* Obsidum conditio melior & tolerabilior esse cœpit nec enim mutant statum, neq; libertatem amittunt, sed dantur in eum finem, ut pax firmetur & pro servandis induciis. *Schönborn. lib. 6. c. 39. Geil. lib. 2. de P. P. c. 2. n. 12. Coler. de Process. Exec. p. 1. 6. §. n. 25.* Et non minus sunt tractan-

tractandi per omnia, quàm liberi homines arbitrio vide-
licet boni viri unde & contractus inter vivos celebrare
August Berous conf. 159. num. 10. vol. 3 item testamenta face-
re possunt *Bart. l. Obsides 11. ff. qui testam. fac. poss. Bl. l. 1. n. 19.*
C. de S. S. Eccles.

VI. Quemadmodum autem inter cives seu priva-
tos initi contractus, datis fidejussoribus vel pignoribus
traditis: ita inter Belli Duces datis aut utrinq; aut ab al-
tera parte obsidibus plerumq; firmantur conventa atq;
stabiliuntur, ut jam neutri parti à conventis recedere in-
tegrum sit. Nam quando cum hostibus aut etiam cum
aliis agitur & dubia fides adest, tunc dantur Obsides in
hunc finem, ut metu custodiæ, carceris, imò vitæ periculo
dantes strictius obligentur ad conditiones pacis, fœderis
initas servandas. *Hering. de fidejuss. cap. 10. n. 282. Hillig.*
in Don. lib. 15. c. 48. lit. B in fin. Arum. de Jur. Publ. vol. 1. disc.
28. n. 105. Sic in fœdere, inter Regem Gallia & Mauricium
Electorem contracto, dabantur Gallo Obsides Christo-
phorus Dux Megelburgicus & Landgravius Philippus ju-
nior *Sleid. lib. 24. Et ex hoc Arum. de Jure Publ. vol. 1. disc. 28.*
n. 104. & seqq.

VII. Simili modo, quando quis magna cum pote-
state ad Præfecturam à Principe emittitur, non inconsul-
tum est, ut liberi illius, quasi Obsides paternæ fidei in au-
la retineantur & rationum reddendarum metu in officio
contineatur *Asthus. cap. 20. Bodin. lib. 4. de Republ. fol. 688.*
Tboloz lib. 22. c. 10. n. 6.

VIII. Dantur Obsides, prout in thesi 6. dictum est,
tanquam fidejussores, adjecta tamen hac clausula, ut Obsi-
des in pœnam Capitalementem accipiantur *Hillig. lib. 6. c. 5. lit. E.*
in not. Arum. d. n. 105. quæ tamen veteribus ignota fuit, quia
semper jure licuit, Obsides, si ii, qui Obsidibus caverant, fi-
dem fefellissent, necare, sed posteris hæc verba sponsio-
nibus adjici placuit, ne Obsides ignorationem juris fecia-
lis prætenderent, aut alienam culpam luere nimis crudele
& acerbum dicerent *Bodin. lib. 5. c. 6. Arum. d. loco.* Hinc il-
lud

Iud apud *Livium decad. 4. lib. 3.* Philippum Macedonem pro pace cum Romanis habenda Obsides dedisse & inter alios quoq; filium Regium Demetrium, qui postea ad patrem reducendus ipsius legatis datus est, ut idem auctor *decad. 4. lib. 6.* scribit. Sic idem *Livius decad. 4. lib. 7.* testatur: Antiochum coactum fuisse, ut Romanis pro observantia pacis veluti aliquod pignus, viginti daret obsides, quos tamen unoquoq; triennio alteraret, & porro nullos daret qui vel minores octodecim annis vel quadraginta quinq; annis majores essent. Sic quoque cum Volsci fidem fefellissent Romani trecentos Volscorum Obsides securi percusserunt, teste *Dyonys. Halic. lib. 6.* Et Tarentinorum Obsides fugientes retracti ac virg'is diu cæsi de Tarpejo dejecti sunt. *Livius lib. 35. Schönborn. lib. 6. c. 39.*

IX. Obses nomen assumpsit ab obsidendo, eâ videlicet occasione, quod Obsessi quondam dabant vades & sponsores in publica causa pro servandis foederibus, quos Obsides appellant, prout ex præcedentibus pluribus videre licet. *Coler. de Process. execut. part. 1. c. 8. n. 5.* Hinc est quod volunt Doctores pro publica causa Obstadium promitti posse, non pro privata. *Bald. in l. ob. as. 12. n. 3. C. de obligat. & act. Felin. in cap. ex rescripto n. 6. in secunda fall. de jurejur.*

X. Verum enim verò argumenta illorum, qui Obstadium tantum in publica causa promitti posse, contendunt, quàm fortia etiam sint, non tantum tamen mihi posse videntur, ut illam Doctorum sententiam, tanquam veriore, scilicet, quod etiam inter privatos Obsides dari possint, vincere valeant.

XI. Cum a. veritas magis elucescat, si ex adverso falsitas seu pugnancia ei opponatur, & contraria seu pugnancia, magno Erasmo teste, prout eum vocat, *Everhard. in topic. loco à contrariis n. 6.* lumen orationi, & ut Græci dicunt, ἐπέγγεται i. e. perspicuitatem seu evidentiam adferunt. Nullus enim clarius perspicit belli ma-

B

la &

la & calamitatem nisi qui eam cum pacis commodis confert *l. un. in prin. C. de caduc. toll. Everhard. d. loco.* Igitur operę pretium esse duo cōtraria argumenta adducere. Contrario autem oblato, nemo statim cogitet, veram sententiam corrumpere, sed habeat in conspectu, quod Justin. monet in *l. 2. §. contrarium C. de vet. jur. enucl.* ubi dicitur, debere aliquem pro defendenda veritate subtili animo diversitatis rationes excutere. Ut igitur id ipsum rectius administraretur, & omnia ad veritatem inquirendam dirigantur, contraria deinceps erunt brevibus solutionibus refutanda.

XII. Qui inter privatos Obsides dari non posse statuunt, his potissimè utuntur argumentis: 1. Quia liber homo pro causa pecuniaria non poterit pignorari, etsi res defuerint, quæ possint pro debito addici, *c. 2. extr. de pignoribus: & obligatio pignoris non consistit, nisi in his, quæ quis de bonis suis facit obnoxia, l. 6. C. quæ res pignori.* Imò creditor, qui liberum hominem pignori accepit, relegatur *l. fin. ff. eod.* Sic jure Authenticorum, qui liberam personam præsumpserit detinere vel pignorare pro debito, ultra poenam corporalem, cui subicitur, amittit etiam jus crediti, & refundit tantundem debitori, quem detinuit, *§. quis verò & hujusmodi Novell. ut nulli judis. 134. Sicbard. in l. ob as C. de act. & obligat.*

XIII. Ratio 2. Quia liber homo non poterit tradi alicui ob debitum pecuniarium in servitutem, nec perpetuam nec temporalem *l. ob as C. de act. & obligat. & ibi Sicbard.* Nam libertas est res inæstimabilis, ut multa jura & res ipsa declarat, *l. 176. ff. de R. 7.* Igitur illa permutari cum pecuniaria re, quantumlibet magna, non potest. Esse verò in Obstagio, est species quædam servitutis, quod patet. *ex l. 2. ff. de liber. hom. exhib.* nam est servitus, cum non quid ex animi sententia, sed ex præscripto loco vel mandato agimus, *Sicbard. d. l. n. 3. & 4.* Et continere videtur quasi speciem quandam captivitatis, & ita per id infringi jus libertatis, *l. Titio centum §. titio centum ff. de condit. & demonstr.*

monstr. Modestin. Pistor. vol. 2. consil. 1. n. 9. Joan. Koppen. in decis. juris quest. 3. n. 4.

XIV. Ratio 3. Quia nemo potest se, pro pecuniario vel civili debito obligare ad carceres, si intra prescriptum terminum non solvat *l. nemo carcerem 2. C. de ex-act. tribut. l. non est singularis. 176. ff. de R. 7. Geil. 1. obs. 17. n. 1. Mynsing. cent. 6. obs. 51. n. 1. & 2. Berlich. part. 2. concl. 27. Felin. c. ex rescripto n. 13. de iurejur. & carcer regulariter non est inventus, nisi ad custodiam l. aut damnum 8. §. solent, de Pœnis. At si probaremus pactum carceris, importaret pœnam, imò quasi hominis caro & corium deduceretur in commercium inclusionis carcerum; prout loquitur *Albert. Brunus de cessio. honorum 5. quest. princ. quest. 20. n. 5. Coler. de process. exec. p. 1. c. 6. n. 27. & 28.* Huiusmodi verò obligatio, quando scilicet ad Obstagium se quis obligat, continet quasi speciem quandam captivitatis seu carceris *l. succurritur 9. in fin. cum l. seq. ff. ex quib. caus. major. Geil. 1. obs. 45. n. 1. Modestin. Pistor. part. 4. quest. 138. n. 4.* Nam carceri mancipatus dicitur non solum, qui in carceribus est, sed etiam qui extra carcerem ita angustè certo loco circumscriptus est, ut ab eo recedere ei sub pœna non liceat per text. in *l. solutum ff. de Verb. Sign. & ibi Gadd. n. 3. Geil. d. pignorat. obs. 9. n. 3.**

XV. Rat. 4. Quia partes pacisci nequeunt, quod non servetur juris ordo: tum quia de jure non possit inchoari processus ab executione, sed præcedere oportet causa cognitio & sententia *l. 1. C. de execut. rei judic. ubi Impp. dicunt: Prius est ergo, ut servato ordine actionem adversus eum dirigas, & causa cognita sententiam accipias. Joan. Koppen. in decis. quest. 3. n. 6. Mynsing. cent. 6. obs. 51. n. 2.*

XVI. 5. Ratio. Quia sæpius sævæ necessitatis vi, homines majora promitterent, si modò quicquam inde sperarent. Nam ut proverbium habet: Necessitas est ingenstelum, & ut Martialis *lib. 11. Epigram inquit: O quantum cogit egestas. Valer. lib. 7. c. 6 inquit Leges abominandæ necessitatis amarissimas esse. Hinc est quod Dd. volunt.*

tempore necessitatis furari licere, quam sententiam esse
communem omnium Canon: & Theolog: *Hoënonius dicit*
disp. 18. tb. 10. Et propterea etiam in jure nostro dicimus,
necessitatem non habere legem *c. quod non est extr. de R. J.*
s. 2. §. fin. de observat. jejun. c. quanto de consuetud. l. item
quamvis ff. commun. divid. Geil. 1. obs. 102. n. 8. & de P. P. l. 2.
cap. 2. Mynsing. cent. 6. obs. 30. n. 5. in fin. & Tiraquell. latè in
tract. de pœnis causa 33 per totam. Possunt igitur ita quidem
in tali necessitatis casu pacisci, verum pactum tale servare
non coguntur: siquidem pacta, quæ contra leges vel bo-
nos mores fiunt, nullam vim habere noscuntur *l. pacta §. C.*
de pactis.

XVII. Quod autem in publica causa obstagia va-
leant, ratio hæc dari poterit: quia multa favore Reipubli-
cæ conceduntur, quæ alias non concederentur, textus est
in *l. ita vulneratus vers. multa a. ff. ad Leg. aquil. l. utilitas C.*
de primipilo. Et publicæ res semper sunt præferendæ pri-
vatis, *l. 43. ff. de relig. & sumpt. fun. Sic Gothofred. ad l. 2. C. de*
patrib. qui filios distr. lit. E. dicit: Vendi liber homo regula-
riter non potest, ut hic nec obres dari, nisi pro Publica cau-
ca. 2. Quia etiam in Principe tanquam fonte justitia, con-
stans voluntas esse debet. Convenit enim Principibus
verbum illud (semel locutus est Deus) & quod scripsi, scri-
psi: ideoq; Princeps unum debet habere calamũ & unam
linguam & non plures, *Geil. 2. obs. 55. n. 3. & 4.* Inconstan-
tia vero & variatio in Principe maximoperè reprobatur.
Fraus cum omnibus facta est, inquit *Thucydides lib. 4. histor.*
tum verò iis, qui majori dignitate præditi sunt, imò scædior
quàm aperta violentia, quia vis jure potentia, quam for-
tuna dedit, infertur; fraus verò ab insidiis injusti propositi
grassatur. Sic heroicè *Franciscus I. Galliarum Rex* qui-
busdam respondit: Etiam si fides toto orbe exulet, Regi-
bus tamen tenendam esse, qui nullo metu, nullâ pœna nisi
virtutis & fidei reverentiâ, ut eam præstent, cogi obstrin-
giq; possint; quo nomine etiam *Theodosium Imperato-*
rem Patat. in Panegy. laudat, cujus tam certa beneficia,
fuisse

fuisse scribit, ut tam accepta viderentur, quam sponderet nec vota hominum falleret, *Arum. ad A. B. discurs. 5.*

XIIX. Verum ab hac Doctorum opinione recedentes illis nos adjungimus, qui statuunt hujusmodi obstagii pactum in causa civili inter privatos valere, quo scilicet debitor promittit in casu non factæ solutionis se hæsiturum in certo & nominato loco, neq; indè moturum vestigia, donec creditori satisfactum sit. Et nostræ opinionis patronum habemus magnum illum Colerum, in *tract. de Process. exec. part. 1. c. 8 per totum.* Qui in Elogio suo inter primos sui seculi Jureconsultos summus vocatur. Ut & *Joan. Koppen in decis. jur. quest. 3 n. 8. Modestin. Pistor. vol. 2. cons. 1. n. 11. & Quest. part. 4. quest. 138. n. 22. Hering. cap. 7. n. 66. & seqq. Wesenb. π de fidejuss. n. 5. Geil. 1. obs. 45. de P. P. lib. 2. c. 2. n. 5. & seqq. Mynsing. cent. 6. obs. 51. n. 7. & seqq. Treutl. part. 2. disp. 28. th. 4. lit. F. Hunn ad Treutl. d. lit. F. à quibus tamen divortium facit, Bachov. ad Treutl. eodem loco.*

XIX. Nec desunt etiam fundamenta, ac rationes sat ponderosæ & firmæ, quibus idiplum sufficienter clarum reddi posset, quas paucis tantum modo tangemus. Sit igitur 1. Quod potest fieri per legem, idem fieri potest per pactam, *l. non impossibile 50. ff. de Pactis.* Leges vero permittunt, ut aliquis detineri possit, donec Domino seu Actori satisfiat, *l. 3. §. si quis eum ff. de l. br. hom. exhib. l. 1. C. qui bon. eod. poss. §. dominus 3. Inst. de noxal. act. Ioan Koppen. d. l. n. 11. Mynsing. d. obs. 51. n. 3.* Deinde cuilibet permittitur obnoxium capere fugientem, *l. 1. C. ubi quis decur. vel coh. l. generali lege 54. C. de decur.* imò propriâ autoritate licet capere debitorem fugientem, vel de fuga suspectum, eumq; tantisper detinere (scilicet in publico loco) donec solvat aut satisfaciat, *l. ait Prætor 10. §. si debitorem ff. qua in fraud. credit.* Idem locum habet in vagabundo, quia qui vagabundus est, nusquam habitat; textus notab. in *l. ejus qui §. si quis domicilio ff. ad municipal. & in l. penult. ff. de serv. export. ideoq; ubicunq; locorum in Imperio forum sortitur*

& conveniri potest, text. in l. dies cautio §. Prætor ait ff. de
damn. infect. Gloss. in l. 1. C. ubi de crim. agi oport. in verb. re-
periuntur. Itaq; solet Imperator ad preces creditorum
contra vagabundos, fraudulentos & latitantes debitores
diplomata sive literas patentes (offene Befehlich) decer-
nere in eum finem, ut ubiq; locorum in toto Imperio pre-
hendi & jurisfisi possint; Das sie auff recht allenehalten
im N. Reich angehalten werden mögen. Geil. 2 obs. 44. n. 13.
Sic quoq; jure gentium conceditur aliquem nedum ca-
pere sed etiam detinere & servare, l. 4. ff. de stat. hom. §. 1.
Inst. de jur. pers. Ergo & per pactum quod est juris gen-
tium l. ex hoc jure gentium ff. de just. & Jur. Mysing. d.
l. n. 4. & 5.

XX. Secunda Ratio est; Quia obstagium, ut ex
definitione patet, est conventio quædam &c. Iam verò
humanæ fidei nihil tam est congruum, quàm præstare
id, quod partes inter sese pactæ sunt l. ex empto ff. de action.
empti & l. hujus edicti 1. ff. de pact. Nec in plebejis minus
atq; in publicis aut illustribus personis exuberare debet
fides d. l. 1. de Pact. & l. 1. de const. pecun. l. 20. C. de transact. Col.
d. cap. 8. n. 15. imò pacta ex bona fide facta legi tamen inco-
gnita valent. l. 1. §. quis depositis ff. de depositi. Intuper hic lo-
cum habet, quod dicitur pacta facere licitum, quod alias
erat illicitum. C. 1. extr. commodato C. contractus ex conven-
tione de R. 7. in 6. Nam Prætor ait pacta servabo l. 7. §. ait.
Prætor. ff. de Pact. & ex his ut Ictus in l. in iis §. Imperator
de solut. diserte ait, naturaliter debetur: hoc est jure gen-
tium l. cum amplig 84. ff. de R. 7. seu jure gentium obligatio
existit. l. 1. in fin. ff. de pact. l. 1. in fin. de contrab. empt. Wesab.
π. ff. de Pact. n. 9.

XXI. 3. Rat. Quanquam liber homo regulariter
non possit Obses dari nec poni in Obstagio, Felin. d. cap.
ex rescrip. n. 6. de jure jur. tamen certi ac indubitati juris est,
quod quilibet juri suo pro se introducto renunciare pos-
sit. l. si quis 29. C. d. Pact. Et qui vigore pacti sibi ipsi legem
dixit, jure suo usus existimatur l. 1. & 2. C. si serv. expert. ven. l.
1. C.

1. C. si mancip. ita fuer. alien. Ratio hæc est: quod qui ipse sibi specialiter in omnem eventum cavit, cautelis juris non indiget l. 1. § si convenit. 6. ff. de depositis. & habet 15. §. cum quis de re ff. de precar. l. 2. C. de execut. rei jud. Voluntas siquidem domini excusat factum l. qui ratiario 30. ff. de pignoratit. act. l. 6. ff. de pact. Et alibi dicitur: Conventionem partiū. Præsidali jussioni æquiparari. l. 1. C. si in causa. iudic. pign. cap. l. pignoris causa 11. C. de pignoratit. act. Sicuti autem vim non committit, qui Prætoris jussu ac mandato possessionem ingreditur l. 11. ff. de acquir. vel amit. poss. nec dolo malo facere videtur l. 167. de R. J. itaque; à vi vel dolo malo excusatur, qui ex pacto aliquid agit Bart. in. l. creditores 3. C. de pignor.

XXII. 4. Probatur sufficienter ex e. ex rescripto extr. de iurejur. & l. 2. C. de patrib. qui fil. distr. Cujus legis vi pater filium proprium in casu necessitatis vendere potest. Ergo ipsi quoque licebit filium Obsidem dare. Cui enim licet quod majus est, licebit utique quod minus est, l. 21. de R. J. Ioan. Köppen. in d. decis. quest. 3. n. 10. Felin. d. cap. ex rescripto n. 5.

XXIII. 5. Propter bonum finem: Cujus autem finis bonus est, illud ipsum bonum est. Aristot. 3. Topicor. imò finis nobilior omnibus, quæ sunt ad finem, l. cum aurum 19. §. perveniamus ff. de aur. & argent. leg. Obsides verò dantur ut creditores magis de fide servanda certi sint & eò citius solvatur. Hinc Festus vocabulum Obsides vult compositum ex ob & fides per mutationem literæ, ac dici Obsides, quasi ob fidem datos.

XXIV. 6. Quia non minus etiam in Imperio Romano antiquioribus constitutionibus Obstagium fuit concessum, uti patet ex constitutione Imperiali Augustæ Anno. 1548. edita ut. vom wucherlichen contracten. §. verba sic habent: So auch in geldverschreibung auff Bürgen in leistung zu mahnen gestelt were oder würde, wollen wir hiermit geordnet haben / daß dieselbige verschreibung nicht auß dem heiligen Reich Teutscher nation
ver-

verkauft/nach der Verkäufer oder Bürgen so dem Reich
unterworfen/daraus eingemahnet werden sollen etc. ubi fi-
dejussores ad Obstagia obligati extra fines Imperii vocari
prohibentur, consequenter ergo per ratiocinationem à
contrario sensu intra fines Imperii illud concessum fuisse
nullum est dubium. Cum unius exclusio alterius sit
inclusio & e contra *l. cum prator 12 ff. d. judicis & ubi quisq;*
Insuper argumentum à contrario sensu in jure est fortis-
simum ut dicit *ICtus in l. 1 ff. de off. ejus cui mandat. est ju-
ris d. & ibi Gloss. in verbo fortissimum l. 18 ff. de testib. Everhard.*
in locis legal. loco à contrariis n. 1. Sic etiam alias dicitur pro-
hibitum ad certum tempus post illud tempus ceteri per-
missum l. pater §. fundum de legat. 3. Idem ergo in eo, quod
prohibetur ratione certiloci. Nam à tempore ad locum
sæpe arguunt §. Ctil. si merx. 4. ff. de condict. tritic. Modestus.
Pistor. cons. 1. n. 16. Geil. 2. obs. 45. n. 1.

XXV. 7. Et si nullo alio jure demonstrari ac pro-
bari posset, valere pactum Obstagii inter privatos, quam-
de consuetudine, consuetudo tamen habetur pro lege
l. 32. l. 33. ff. de legib. Sic dicit Justin. in §. ex non scripto Inst.
de J. N. G. & C. Diuturni mores consensu utentium ap-
probati legem imitantur, cum quo consentit ICtus in l.
35. ff. de legib. Quæ longa consuetudine comprobata sunt,
ac per annos plurimos observata, velut tacita civium con-
ventio, non minus, quam ea, quæ scripta sunt, jura servan-
tur, imò consuetudo cujuslibet loci legibus scriptis & ju-
ri-communi derogat, l. 2. C. qua sit longa consuet. Pistor. d.
l. n. 12. Obstagiis verò consuetudo ferè sola observandi
auctoritatem peperit, ut inquit Felin. d. cap. ex rescripto n.
8. versu tamen sustentabilius puto dictum Baldi & c. Sic ho-
rum Obstagiorum usus, teste Geilio in Germania inter
Nobiles præsertim, non est infrequens, & si in causa ci-
vili, puta mutui vel alterius contractus, pacta conventa
sub Obligatione Obstagii non servantur, debitores vel
eorum fidejussores, werden in die Leistung gefordert / hoc
est, interpellantur literis creditorum, ut se juxta obliga-
tionis,

tionis formulam loco & tempore convento sistant, non
necessari donec promissis satisfaciant: non sistentes se, fa-
mosis picturis publicè ubiq; affixis mirabiliter traducunt,
diffamant tanquam perfidos & perjuros, ut qui fidem da-
tam & promissam contra officium boni viri fefellerint.
Coler. d. cap. 8. n. 67. Geil. de P. P. l. 2. cap. 2. n. 6. § 1. obs. 10. n. 8.
Hering. de fide iuss. cap. 19. n. 93. Et talia Obstagia in Camera
sæpius approbata esse, inquit *Geil. 2. obs. 45. n. 1.*

XXVI. 8. Sic quoq; Obstagium valet & conser-
vandum est, de Jure Saxonico communi, per text. *art. 22.*
lib. 2. § art. 11. incip. wer Eyde gelobet/ in fin. lib. 1. Landrecht
seu speculator: ubi dicitur, eum, qui sub Obstagio debet
pecuniam, liberari ab Obstagio, si ad diem solutioni di-
ctum pecunias debitas offerat, creditor autem acceptare
recuset, etiamsi interim à debito ipso haudquaquam li-
beretur. Igitur iterum à contrario sensu argumentari
commodè poterit, si non offert pecuniam, ad Obstagium
manet obligatus. *Moller. semestr. lib. 3. cap. 30. n. 3. Modestin.*
Pistor. part. 4. quest. 138. n. 24.

XXVII. Nec obstant, quæ à dissentientibus in con-
trarium sunt adducta: ad 1. enim argumentum hoc mo-
do responderi poterit: Liberum hominem non ita obli-
gari, ut servus fiat, aut in eo jus reale constituatur tanquam
in pignore, ita ut possit eum locare & pignorare aliis, ta-
lia enim fieri prohibitum est, & pœnam merentur, sed eo-
usq; tantum ut detineatur, donec fiat quod pacto con-
ventum est. *Bald. l. 2. n. 9. C. de patrib. qui fil. distr. Felin. in*
d. cap. ex rescripto n. 7. Geil. de P. P. lib. 2. c. 2. n. 7. Ioan. Koppen.
d. quest. 3. n. 13. Deinde respondet, *Coler. d. l. n. 6. ad Novel.*
134. dicendo, loqui nempe illam de non consentiente, ut
non possit invitus detineri, secus verò volens, cui non fit
injuria, *l. cum donationis C. de transact. l. 1. § usq; adeo, de injur.*

XXVIII. Secundò respondetur negando scilicet,
quod Obses in servitutem detur, & quod per illam obliga-
tionem jus libertatis infringatur, nam poterit sese solven-
do statim liberare & facultatem recedendi consequi. Igi-
tur

tur non detinentur in causam servitutis aut alicujus ministerii, sed ut liberi homines, ut pacta tantummodo solidi ferventur, *Coler. d. cap. 8. n. 10. Modestin. Pistor. vol. 2. conf. 1. n. 16. Felin. d. cap. ex rescripto n. 9. Geil. 2. obs. 25.* Itidem dicit *Bart. l. 1. n. 5. C. qui bon. ced. poss.* carceratum debitorem non effici servum alterius, cum solvendo vel bonis cedendo liberari possit.

XXIX. Tertio iterum negamus, quod nemo possit pro pecunia ad carceres se obligare, sed distinguendo illud omnino affirmamus. Sic *Zasius singul. respons. lib. 2. c. 8.* dicit pacta valere, ut debitor post moram carcerari possit, quia inquit carceri aliquem includere pro debito per magistratum, non est actus illicitus, sed a jure permissus, *l. 1. C. qui bon. ced. poss.* si igitur est actus licitus, utiq; in pactum venire potest *Geil. de P. P. l. 2. c. 2. n. 8. Hunn. ad Treur. vol. 2. disp. 28. t. 4. l. F. Coler. d. part. 1. c. 6. n. 45. Mynsing. cent. 6. obs. 51. Berlich. part. 2. concl. 27. n. 7. & seqq.* ubi dicit, discretis verbis ab Augusto Electore constitutum esse, quod tale pactum valeat, & debitor in casu morae se ad carceres obligare possit, modo creditor non propria autoritate, sed per ministros publicos, eum capi & carcerari faciat: & illud non tantum in viris, sed & in mulieribus obtinere. *Novel. Elect. part. 2. const. 21. & ibi Dan. Moller. in comm. n. 8. Secus vero de jure civili Hering. de fidejuss. c. 17. n. 77. & Berlich. d. l. n. 11.*

XXX. Quarto respondemus regulariter quidem processus non debet inchoari ab executione, verum fallit, si aliud pacto est introductum. Nam si in hoc semel concordant partes, quod ad executionem paratam procedatur, absq; ordine judiciali, Praetor nullo alio discusso justam partium conventionem sequi debet *l. tale pactum 40. §. qui provocavit ff. de pact.* *Coler. d. part. c. 5. n. 79. & seqq. Felin. d. cap. ex rescripto n. 14.* ubi videre licet, in quibus haec regula non procedat.

XXXI. Ultimo respondemus: Absolutam & precisam necessitatem legem non habere; verum haec necessi-

cessitas talis non est; siquidem debet aliquid operari, unde se sustentare possit, vel potius mendicare, quam fidem fallere. *arg. c. clericus victum & c. clericus quilibet distinct.* 91. juncto *c. cum voluntate §. predicatores in fin. extra de sent. excom Coler. d. c. 8. n. 96.* & quis perversorum non prætersurus esset necessitatem, qui vel laborare, vel alio modo honestè se alere nolit.

XXXII. Cùm autem non tantùm à debitoribus principalibus, sed & ab ipsorum fidejussoribus Obstagia promittantur, *Treutl. d. disp. 28. lit. F. & ad eum Hunn. ibid. quest. 30. Dan. Moller. semestr. lib. 3. cap. 30. Hering. d. c. 17. n. 66. Coler. d. c. 8. n. 11. & seqq.* Major dubitatio residet, an hi possint sese ad Obstagiũ obligare, dissentientes talibus utuntur argumentis, Fidejussorem nempe non posse in aliam rem obligari, quàm principalis, *l. si ita fidejussorem 42. ff. de fidejuss.* sed cum obligatio principalis consistat in dando, (quòd indubitati juris est: siquidem in contractu mutui versatur obligatio dandi, quia mutuum inde nomen accepit, quòd de meo fit tuum *l. 2. §. appellata. si cert. petatur.* Unde & dicit *Jetus in pr. illius l.* quòd in mutuo non recipiamus eandem speciem, sed idem genus. Hinc est, quòd mutui datio, *ut ib. §. 1. consistat* in his rebus tantùm, quæ pondere, numero, mensurave consistunt, quia earum functione in creditum ire possumus, per solutionem magis, quàm speciem, quia ita datur pecunia, ut accipientis fiat, & quandoq; non eadem res, sed alia, ejusdem naturæ & qualitatis reddatur, *§. 1. Inst. Quib. mod. re contrah. oblig.*) Hæc autem, scil. fidejussoris, in faciendo, quæ sunt diversæ species *l. stipulationum 2. in pr. & l. 75. §. 7. ff. de Verb. Oblig.* Videtur negari non posse, quin fidejussores hoc casu ad aliam rem sint obligati. *Pistor. d. quest. 138. n. 3.*

XXXIII. Nec insuper obligari posse in causam graviolem *l. Grace 9. §. 7. & ibi Bart. l. 17. §. 1. ff. de fidejuss.* Sic dicit *Moller. d. c. 30. n. 2.* illud commune esse in universis, qui pro aliis obligantur, ut si fuerint in duriolem causam adhibiti, omni modo non obligentur. *d. l. Grace: duriolem*

C 2

autem

aurem multis modis hoc pacto fidejussorum causam fieri, negari non posse; cum ipsa experientia abunde testetur, quanto cum detrimento, non facultatum tantum, sed & valetudinis, & æternæ non raro etiam salutis, fidejussorum, & illorum, quos illi secum adducere solent, hujusmodi obligatio sit conjuncta.

XXXIV. Verum respondemus i. cum *Pistorio d. conf. i. n. 21. l. istam 42.* loqui de alio & separato casu, ubi nempe fidejussor se ad aliud obligarat quam principalis debitor, scilicet, ad frumentum, hic verò ad pecuniam. Hoc loco autem fidejussorem in aliam causam non obligari. *Pistor. d. conf. & d. quest. 138. n. 7.* Equè enim se obligat ad solutionem, vel in casu moræ ad Obstadium. *Coler. d. c. 8. n. 13. & seqq.*

XXXV. Ad alterum responderur: Etsi fidejussor non possit in causam graviolem obligari, tamen potest efficacius & firmitus, quam debitor ad eandem fidejussor. *l. quod enim l. Marcellus ff. de fidejuss. Locamer. in notis ad Inst. tit. de fidejuss. §. 1. l. D. cautam obstringi: puta instrumento, quod executionem habet paratam Bart. in l. si qui n. 11. ff. de fidejuss. Bl. in l. 6. C. Mandati. aut adjectione alicujus pœnz, vel facti Gl. in l. 66. ff. de fidejuss. Wesenb. in π. b. c. n. 5. Treutl. d. d. sp. 28. l. F. & ibidem Hunn. Pistor. d. quest. 138. n. 8.* Sic pro debitor simpliciter obligato, per instrumentum, contra quod nulla de jure communi proditur parata executio, *l. minor 25. annis cui fidei commissum 40. ff. de minor. Fidejussor in eventum moræ principalis executivè se obligare potest. Bart. in l. 34. n. 2. ff. de fidejuss. l. Marcellus ff. ibid. l. 127. in fine de V. O. Coler. d. part. 1. C. 10. n. 406.* Neq; causa durior est, siquidem facilius est facere, quam dare *Gloss. in l. un. verbo damnum C. de sententiis que pro eo quod inter- est. & si ipsis Obstadium est damnosum, possunt sese statim solutione debita ab hoc liberare l. 62. ff. de fidejuss. Pistor. d. quest. n. 7.*

XXXVI. Præjudicium quoq; affert *Pistor. d. l. n. 11. in causa Anthonii Beust, contra Johannem Sternbergi* qua

quæ missa est ad facultatem juridicam, Anno 1564. mēse Augusto, in qua facultas habuit ejusmodi obligationem pro valida, & ex ea condemnavit fidejussorem conventum.

XXXVII. Sic etiam dicit *Hering. d. cap. 17. n. 76.* mulierem etiam fidejubendo se ad Obstagium obligare posse, sed illud fit tali modo. In fall aber ich od meine mit beschriebene seumig würdē/wil ich nach der Gleübiger wille/ vnd gefallen auff erfordern einen Ehrlichen Fürnehmen Man gen N. zum einleger schicken etc. Nam ipsam in Obstagio in publicis diversoriis, sive popinis hæere, admodū fore scandalosum *argum. l. optimam. vers. quas naturalis pudor non omnibus C. de contrah. stipul. § autb. bodiè C. de custod. reor.*

XXXIIX. Præterea hoc loco dubitatio non exigua occurrit, an nimirum fidejussor obligatus ad Obstagium, in eventum non factæ solutionis, si exigatur pro satisfactione videlicet crediti, vel pro ingressu Obstagii, requisitus, possit excipere de prius excutiendo principali? *Et Respondet Coler. d. p. 1. c. 10. n. 405.* cum audiendum non esse, quantumvis Authentic. præsentè *C. d. fidejuss. non fuerit specialiter renunciatum. Et est text. in d. c. ex rescripto ib. dedit Monachos & uxorem fidejussores, junctis verbis, conventionem faciatis adimpleri.*

XXXIX. Nec minus hæc quæstio hoc loco notatu digna est, An videlicet pluribus fidejussoribus Obstagium ingressis, in aliquo diversorio, quos habitâ fide de pretio, hospes per annū jam exhibuerat & alimentaverat, unus ex illis satisfaciendo hospiti de sua parte, pro expēsis liberet suam fidem, ita quod dominus hospitii ipsum dimittere cogatur, absq; eo quod solvat etiam pro sociis? Et Neg. Si nempe se in solidum obligarunt, cum renuntiatione *Epistolæ D. Hadriani*, sicut unus solvendo partem suam, non liberat fidem suam, nisi de quotis etiam confidejussorum satisfaciatur: Ita idem est in accessoriis hujus obligationis in effectu nempe Obstagii, ut ipsi pedem inde movere non integrum sit, nisi pro expensis tam suis, quam aliorum, etiam Obstagiatorum & correorum debendi,

bendi, satisfaciat. arg. l. 178. ff. de R. J. c. accessorium extr.
cod. in 6. Coler. d. c. 10. n. 413.

XL. Quantumvis autem debitor principalis deti-
neatur, non liberatur tamen exinde fidejussor, quin is et-
iam capi possit, sic etiam quantumvis creditor missus sit
in possessionem bonorum debitoris, fidejussor tamen ni-
hilominus æquè, ut prius obligatus, remanet. Coler. d. l. n. 40.
Siquidem electio unius remedii executivi non præcludit
viam aliis, quando per primum non est satisfactum cre-
ditori, Angel. in l. qui restituere 68. n. 3. ff. de rei vindic.

XLI. Valet Obstagium & observandum est, non
tantum si juratò, sed & si absq; Jurisjurandi religione sit
promissum, cum non tam consideretur ipsum juramen-
tum, quàm interpositio fidei pro præstandis conventis. Co-
ler. d. l. n. 11. Pistor. d. quest. 138. n. 23. Felin. d. cap. ex rescripto n. 20.

LXII. An cessio bonorum liberet debitorem ab
Obstagio, inter Doctores controversatur. Nos salvis ali-
orum judiciis, facimus cum Geilio l. 2. c. 45. n. 6. Qui, debi-
torem per legitimam cessionem ab Obstagiis liberari,
statuit.

XLIII. Poterit autem Reus extrajudicialiter in-
terpellari per creditorem, ut conventionem Obstagii ad-
impleat, si verò requisitus se sistere nolit, judex rei adiri po-
terit, ut compellat debitorem, præstare conventa. Solvere
nempe, aut præstare Obstagium.

LXIV. Obses nihil amplius habens facultatum,
unde hospiti de precio cibi satisfacere possit, cui propter
inopiam hospes denegat ulteriora alimenta, an excusari
possit, si recedat ab obstagio, dubitationem non minimam
affert. Ita quidem ait Coler. d. l. n. 69. sed postmodum addit,
rectius & consultius esse, cum consensu creditoris hoc
facere.

LXV. Cæterùm, cum magnus Obstagiorum abu-
sus sit, illaq; extremo debitorum malo, & nullo credito-
rum commodo fiant. Geil. d. obs. 45. n. 6. imò nil nisi meræ
crapulæ & heluationes sint, Hering. d. l. n. 69. Siquidem ut

Dan.

*Dan. Moller. d. c. 30. n. 7. ait: Mos in eo consistit, ut, nisi illi, qui ita obligati sunt, unà cum iis, qui officii & honoris causa ad ipsos ventitant, toto tempore durantis Obstagii, nulla prorsus sumtuum habitâ ratione (id enim plerumq; expressè literis cautionum inseri solet) dies noctesq; cibo & potu se ingurgitent, & vel dimidium saltem diem ab helluationibus cessent, pactis non satisfacisse videantur: & fateretur, ipsum vidisse aliquando in hospitio publico, in quo quidam erant in Obstagio, in eo conclavi, quo illi utebantur, vitra vino & cerevisiâ plena supra mensam suspensa, ne quis fortè ingrediens, ut ajebant, cōtra legem conventionis vinum & cerevisiam in promptu non esse causaretur. Quâ ratione brevissimo tempore tantum pecuniæ in Obstagiiis consumptum est, ut quantitatem crediti longè superaret, nec tamen eò magis creditori satisfactum, quin potius, quibus antea difficile erat solvere, eos prorsus non solvendos factos. Igitur *novissima Constitutione Imperii Anno 1577. tit. 17. rub. von wucherlichen Contracten S. wiewol auch in des heiligen Reichs Pollicey Ordnung etc.* Obstagium sublatum est. Vti etiam Elector Saxonix per omnes suas provincias abrogavit. *const. 22. part. 2. S. wir wollen auch etc.**

Et sic hujus disputationis Terminalia sunt.
Deo sit laus in secula seculorum! Amen.

Præstantissimo & Eruditissimo Dn. Respondenti, SSt: Legum cultori indefesso, Amico suo plurimum dilecto.

Dum celebrant alii torpentia templa Vacunæ,
Pulvinarq; Erebi molle furentis amant:
De fidix fugitans radiosa sacella Themistæ
Ingredieris, Gruntzi, Floscule clare Dices:

In-

Ingeniūq; novos foetus exponis, aperta
Præclaræ mentis quæ documenta tuæ.
Fibritus opto tuis tot prospera dona Camœnis
Hortis quot riguis lilia Flora serit.
Promoveat Zephyrus fortunæ vela benignus,
Ut portus cymbam mulceat alma quies.

gratulationis ergò

L.Mroq;

scribebat

Ortholphus Fomann D.

PRÆSES.

Eximio Dn. Respondenti Amico suo
charissimo S. P.

Propugnare Themis privo conamine doctus,
Publica conscendis pulpita, sacra loca;
Et quam privatim crebro defendis, aperto
Fortiter hac illam Marte tuere die:
Conatus laudo, Gruntzi, ferat, opto, fidei
Publica Cultori premia Sacra Themis

deproperabat

Godfried Fiebig D.

F I N I S.

Ad Lectorem.

Prelo nimis festinante, præter omnia commata, & alia plura,
sequeantia potiora, irreperunt sphalmata; In præloquio, fie-
rint, pro fuerint, innumerabiles pro innumerabiles; th. 1. oriri;
pro ordiri. th. 3. sistet pro sistat; auß pro auff. th. 5. & factum, pro
vel pactum. th. 6. obsdidus pro obsidibus, th. 7. Asthus. pro Althus:
th. 11. duo. pro duco. th. 13. quid pro aliquid. th. 17. Justitia pro Ju-
stitia. th. 18. hesitatum, pro hesitaturum. th. 19. libr: pro liber: &
cod: pro ced: th. 24. enotrario pro contrario.

ULB Halle


005 132 630

3



VDA7





B.I.G.

Farbkarte #13



URIDICA

AGIO.

~~40~~
229
1639,4^a
5

ante gratia,
Magnifici, Nobilissimi
Ordinis in Illustrissima

ante
no Consultissimo

FOMANNO,

ffore hujus Academiæ
obilissimæ Facultatis
fimo, Consiliario,
ciæ Provincialis
re Dignissimo

reptore suo, honoris
em prosequendo,
it in Auditorio Ju-

Quedlinburg. Saxo.
unii.



NSTEINIANIS,

50.

